

**Disputatio VII. De
justificatione fidei
gratvita. Respondente
Laurentio Joh...**

Mancelius, Georg,

11 Ba Mancelius



Disputatio VII. DE JUSTIFICATIO- NE FIDEI GRATVITA.

Respondente LAURENTIO JOHAN-
NIS Aboënsi.

a. d. 22. Junii.

THESIS I.



Justificatio est actio DEI,
quâ hominem peccatorem
gratis propter Christum Me-
diatorem, Fide apprehensum,
remissis peccatis, & ejus justi-
tiâ illi imputatâ, in gratiam suscipit, ju-
stum pronunciat, ac hæredem vitæ æter-
næ acceptat.

II.

Ejus causa efficiens est ipse Deus solus
& unicus, ex solâ gratiâ, misericordiâ &
dilectione erga genus humanum, lapsos
& in peccatis mortuos vivificans, justifi-
cans, & salvos faciens.

III.

Per Gratiam autem hoc loco non in-
telligimus Renovationem, seu dona infu-
sa, sed gratuitum DEI Favorem, Mi-
sericor-

sericordiam, & *Φιλανθρωπίαν*, quā ipse nos diligit, & gratis peccata remittit, *Ioh. 3. v. 16. Rom. 3. v. 24. Eph. 2. v. 4. 5. 8. Tit. 2. v. 11. & 3. v. 4. 5. 7. 1. Ioh. 4. v. 9.*

IV.

Licet verò hæc Gratia, respectu nostri, sit merè gratuita, nec ulla nostra satisfactio interveniat: non tamen *ἀπλῶς* & omni prorsus modò absoluta est, sed certò redemptionis pretiò determinata.

V.

Etenim si DEUS hominem absq; ullâ interveniente satisfactione justificaret; derogaret id laudi justitiæ ejus, *Gen. 2. v. 17.* quæ omninò & quidem perfectam pro peccatis satisfactionem postulat: si modò Misericordiæ locus esse debet.

VI.

Accedit ergò Christus cum suo Meritò, qui ad promerendam nobis justitiam & salutem, cum agendò, tum patiendò, perfectam legi obedientiam ac solutionem pœnarum, vincendo mortem & Diabolum, plenissimè præstitit.

VII.

Hic cum omni suâ justitiâ & obedientiâ per fidem nobis imputatus, efficit, ut coram tribunali Dei consistere valeamus.

37.

Es. 53. v. 12. Ier. 23. v. 6. Rom. 5. v. 18. & 3. v. 25. & 4. v. 5. 2. Cor. 5. v. 21.

IIX.

Unde jam etiam de formâ nostræ justificationis judicare licet, quæ non est aliqua infusa Qualitas: sed remissio peccatorum, & imputatio gratuita justitiæ Christi, *Pf. 32. v. 1. 2. Rom. 4. v. 7. Phil. 3. v. 9.* quâ induti & à peccatis absoluti, justî & sancti coram Deo reputamur, *1. Cor. 1. v. 30.*

IX.

Porro justificationis actum ingreditur etiam Fides, tanquam manus & instrumentum, quo universa Christi beneficia nobis applicamus, *Matc. 16. v. 16. Act. 17. v. 30. 31. 1. Tim. 2. v. 4.*

X.

Et hæc est unica ratio atq; hic unicus modus justificationis, ut nimirum credamus in Christum, & Fide accipiamus remissionem peccatorum & vitam æternam: unde SOLA FIDES justificare dicitur.

XI.

Ubi tamen nec Gratia & Misericordia Dei, nec meritum & satisfactio Christi; neq; etiam prædicatio Evangelii, aut usus Sacramentorum excluditur: Sed illa potius requiruntur & præsupponuntur à Fide, utpote sine quibus fides non est.

12. Fi-

XII.

Fides autem justificans non tantum est notitia verbi Divini, *Jac. 2. v. 19.* aut generalis assensio: sed etiam certa cordis fiducia *Esa. 53. v. 11. Matth. 9. v. 22. Joh. 3. v. 15. 16.* ex promissione verbi Dei & sacramentorum, virtute Spiritus Sancti concepta, quâ DEO totò cordis adfectu adherentes, gratuitam peccatorum remissionem à Christo acquisitam, & gratis in verbo promissionis oblatam firmiter adprehendimus, adprehensam adplicamus, & in adplicatâ suaviter acquiescimus.

XIII.

Hæc ut cuiq; propria esse debet (siquidem justus quilibet suâ fide vivet) ista omnia sibi in individuò applicans: ita quoq; certa sit & immota.

XIV.

Ad Orcum itaq; releganda Pontificiorum dubitatio. Confer *1. Joh. 5. v. 10.*

Rom. 4. v. 16. Hebr. 6. v. 16. Rom. 4. v. 11. & 8.

v. 16. Ephes. 1. v. 13. 1. Joh. 3. v. 6.

Rom. 14. v. 22. Luc. 17. v. 5.

Mat. 9. v. 24.

Dispu-